Z B I O R druków procesowych z XVIII. i XIX. w.

Tom II.

Nr. 1.	Elsner i Wisogierdowie r.1782.	szt. 1.
" 2.	Froelichowie r.1799.	" 3.
" 3.	Goldynga r. 1765.	" 2.
" 4.	Grabowski i Sieheń etc r,1799.	" 1.
" 5.	Grabowscy r. 1799.	" 2.
" 6.	de Grothuz i Piotr Książę kurlandz.r.1779	" 1.
" 7.	Grużyński i Podberescy r. 1799.	" 3.
" 8.	Haudring i Klüchzner r. 1779.	" 3.
" 9.	Haudringowie i Platerowie r. 1780.	" 2.
" 10.	Janowicz i Chodakowscy r. 1799.	" 1.
" 11.	Izraelowicz i Radowicki r. 1799.	" 2.
" 12.	Hryniewicz r. 1774.	" 1.
" 13.	Jezuici toruń. i Magistrat toruń. r. 1724.	" 3.
" 14.	Jasna Góra i Kłobuck r. 1790.	" 2.
" 15.	Jocz i Downarowicz r. 1800.	" 1.
" 16.	Kaczanowska i Brzozowski 1799.	" 1.
" 17.	Kalenkiewicz r. 1760.	" 1.

STATUS CAUSÆ

Pro Generoſo Sigiſmundo Joanne ab Haudring, Colonello in Exercitu Regni, Bonorum Ockniſt & Baltenſec Poſſeſſore Hæreditario, uti Parte Appellante;

Contra Generoſum Erneſtum Fridericum à Klüchzner Locumtenentem Bonorum Lowiden Poſſeſſorem, uti Partem Appellatam.

TERMINUS

Ex Appellatione Extraordinaria & ex Adcitatione.

CAUSA

Reſpectu Actionis rei vindicatoriæ Prædii Lowiden à Generoſo Colonello ab Haudring, vî Juris Prothomiseôs, aliàs propinquitatis, idq; conventionalis inſtitutæ.

IN Anno 1751. ſub die 24. Junii in Laſſen, inter Generoſam olim Annam Emerentiam natam de Budberg, & Viduam poſt Generoſum olim Gerhardum Erneſtum ab Haudring Subjudicem Sèélburgenſem Matrem ab una, ipſiuſqué Liberos cùm Generoſo ab Haudring procreatos, ſtante Minorennitate Generoſi Appellantis ab Haudring parte ab altera, interceſſerat Conventio, quâ mediante, poſt exdviſionem Subſtantiæ, uni Fratrum, nimirum Generoſo Chriſtophoro Geórgio ab Haudring tunc Locumtenenti, modò verò Camerario, ex communi Hæreditate ſub § 4. Prædium Lowiden, pro portione Hæreditaria, tamen ſub conditione §. 7. expreſſa conceſſum erat, ut in caſum, Si hic, vel quiſpiam Fratrum Prædium ſuum Tranſactione illa acquiſitum alienare poſtea vellet, reliquis Fratribus, conſequenter & Generoſo Colonello ab Haudring moderno Appellanti, Jus proximius præ extraneo quocunq; ad acquirendum competere deberet, illudquè Salvum reſervatum extitit: *Vid: Conventio in Actis fol.* 57. & 65.

Hoc tamen pactô non attentô, & nullâ præcedente venditionis denuntiatione, Generoſus Erneſtus Fridericus à Klüchzner emit Bona Lowiden à Generoſo Camerario ab Haudring, mediante Contractu 24. Junii Annô 1759. celebrato, in quo notandum, quód Generoſus à Klüchzner

A reſpectu

respectu Juris Prothomiseôs, adversus modernum Generosum Appellantem, evictionem apud Generosum Camerarium vendentem sibi stipulatus sit, & ita sciens de Jure Generosi Appellantis, rem Juribus alterius obnoxiam emendo, ejus possessionem malâ fide ingressus est. *Vid: Contractus venditionis in Actis fol.* 161.

Horum, quæ per suam Familiam agebantur, Generosus Appellans prorsus inscius erat, & transeundo per Curlandiam tunc etiam Minorennis in Militia Russico-Imperiali existens, de Annô 1762. die 30. Mensis Martii, eventùaliter tantummodo, coram Actis Ducalibus Judicii Primæ Instantiæ Sèélburgensis manifestatus est, ne quidquam in præjudicium Juris sui Prothomiseôs ad Bona Weisensec & Lowiden fieret, quod sibi ex Pacto 1751. §. 7. competit: *Vide Manifest. in Actis fol.* 70.

Et rursus Generosus Appellans militiæ deditus à domo abfuit, redux tamen, dum tàm angustò tempore de circumstantiis sibi præjudiciosis, stante suâ absentiâ & minorennitate factis, nec notitiam necessariam acquirere, nec consilium capere potuit, igitur super omnibus præjudiciis stante suâ abstentiâ & minorennitate factis, Manifestationem emisit Annô 1765. die 13. Aprilis: *Vid: in Actis fol.* 73.

Quam Manifestationem & subsequentî Annô 1766. die 19. Mensis Martii renovaverat: *Vid: in Actis fol.* 75.

Et rursus Annô 1767. die 3. Men: Septembr. renovaverat Manifestationes Annorum 1762, 1765, & 1766, in qua Manifestatione etiam enuntiat, quod tempore debitô videlicet in expirio Anni suàrum Manifestationum condescenderat ad Acta renovare Manifestationes, sed quoniam tunc temporis Secretarius Actorum morbô continuô laborabat, propter quem non potuit suscipere Manifestationem, ne itaque per ipsius morbum, in aliquod fatale propter id, quod non in tempore renovata Manifestatio, incidat, hanc ideo & super hoc Accessorio emiserat Manifestationem. *Vid: in Actis fol.* 78.

Hæ demum Manifestationes suprascriptorum Annorum per Generosum Appellantem Annô 1768. die 3. Mens: Septembr. *fol.* 82. 1769. die 3. Mensis Septemb. *fol.* 83. 1770. die 3. Mensis Septembr. *fol.* 85. ac 1771. die 3. Mensis Septembr. inhærendo etiam Manifestationi per Matrem suam Annô 1754. intuitu Juris Prothomiseôs ad Bona Baltensec, Sussay, ac Lowiden emissæ *fol.* 89. tum quoque 1772. die 3. Mensis Septembr. *fol.* 92. renovatæ extiterant.

In virtute itaque hujusmodi Jurium reservationis, postquàm actualiter Generosus Appellans de venditione Bonorum Lowiden edoctus fuisset, ad obtinendam actùâlem hæreditariam possessionem eorundem Bonorum, citavit ad Judicium Ducale Primæ Instantiæ Sèélburgense Generosum Locumtenentem à Klüchzner, tànquam malæ fidei possessorem illius Prædii, quippe scientem de Jure Prothomiseôs Generoso Appellanti vi juris pactitii competente, quæ Citatio die 13. Mens: Augusti emanata, & die 17. ejusdem Mensis Annô 1772. Generoso à Klüchzner insinuata: *Vid: in Actis fol.* 51.

In cujus Citationis Termino, nempe 18. Mens: Septembr. Annô 1772. Generosus ab Haudring comparendo, post prælectionem libelli conventionalis, & insertionem annexorum, expetebat responsum ad propositionem suam: *Vid: in Actis fol.* 47:

Generosus verò à Klüchzner, ex quo, ac si Generosus ab Haudring non fuerit possessionatus, opposuit exceptionem cautionis: *Vide. in Actis fol.* 97.

Post rationes hinc inde super cautione adductas, Generosus ab Haudring produxerat cautionem pro se à Fratribus suis, præter habitum proprium Jus hypothecarium & advitalitium in Bonis Abelhoff: *fol.* 102. & abbreviando litem, obtulerat in reliquo pro omnimoda securitate judicati ad sequestrum Judicii obligationem Generosi Salomonis Friderici à Dortoesen, & Mariæ Juliannæ Natæ à Reck, sibi super 2000. Taler

in

in Albert: ſervientem *fol.* 122. ſuper qua cautione duplici, cum Generoſus à Klüchzner perſtitiſſet *fol.* 127. Generoſus ab Haudring poſtulaverat, quatenus Generoſus à Klüchzner in principali procedat *fol.* 129. quæ Acta ſunt die 28. Septembr. 1772.

Jam autem Generoſus à Klüchzner complacitâ ſibi poſſeſſione Bonorum Lowiden, nullátenus in principale ingredi voluit, ſiquidem poſt pacificatam unam exceptionem cautionis, iterum aliam, inordinatæ, nempe Citationis oppoſuit, conſiſtentem in eo: quod quoniam in Citatione nominatus ſit ſolummodo Poſſeſſor Bonorum Lowidem, & omiſſus eſt titulus hæreditarius, igitur Citatione pro inordinata declarata, petiit ſe ab inſtantia abſolvi: *fol.* 130.

Repoſuit ad hanc Exceptionem Generoſus ab Haudring plurimîs, & præcipuè, quod ſuper hæreditate ſit actio, ergo contra ſuum propoſitum nullatenus ipſum admittere & nominare poteſt hæredem: *fol.* 134.

Non attentâ tamen hac juſtificatione Generoſi Appellantis, Judex Primæ Inſtantiæ Sèélburgenſis, mediante ſuo Decreto ſub die 30. Menſis Septembr. Annô 1772. publicato, Citatione pro inordinata declarata, Generoſum Klüchzner ab Inſtantia abſolvit, compenſatis tamen expensîs: *Vid: fol.* 149.

Ab ejuſmodi ſententia, reſpectivè à compenſatione expenſarum, appellavit Generoſus à Klüchzner ad Judicium Aulicum Ducatûs Curlandiæ, cui Appellationi à totali ſententia & Generoſus ab Haudring adhæſit, Judex verò Primæ Inſtantiæ, utriuſque Appellationem admiſit: *fol.* 150.

In Judicio Appellationis poſtquàm Cauſa hinc inde ſuper exceptione inordinatæ Citationis propoſita, & gravamina juſtificata fuiſſent, publicatum ſub die 9. Menſ: Junii 7774. Decretum, quò mediante, reformatâ ſententiâ Judicii Primæ Inſtantiæ, exceptioni inordinatæ Citationis locus non adinventus, & Cauſa pro ulteriori Proceſſu remiſſâ ad Judicem, à Quo: *fol.* 153.

In ſequelam iſtiuſmodi Decreti adcitatus Generoſus à Klüchzner pro ulteriori Proceſſu ad Judicium Primæ Inſtantiæ, in quo comparens, productô Contractu venditionis Bonorum Lowiden, per Generoſum Camerarium Gèórgium Chriſtophorum áb Haudring de Annô 1752. die 24. Junii confectô, productâ quoque provocatione ad litem per ſe Generoſi Camerarii Chriſtophori Geórgii ab Haudring, ſub die 6. Menſ: Aprilis Annô 1775. ipſi eodem Annô, die 12. Menſ: ejuſdem inſinuata, cùm idem Generoſus Camerarius tanquam ſuus Evictor non compareat, petiit differri Cauſam ad proximam Juridicam: *in Actis à fol.* 156. *ad fol.* 178.

Replicavit adverſus hancce Dilationem petitam Generoſus ab Haudring, juſtificando, quod non cum quopiam tertio, ſed duntaxat cum ipſomet Generoſo à Klüchzner actionem habeat, idcirco quemvis tertium in Judicio expectare non tenetur: *fol.* 180..

Super quibus controverſiis in Judicio Primæ Inſtantiæ prodierat ſub die 31. Menſ: Maji 1775. Decretum, ob non comparitionem Evictoris, Dilationis Cauſæ ad proximam Juridicam: *fol.* 193.

In proxima Juridica poſt productionem reſponſi ab Evictore, quod Generoſum à Klüchzner nullatenus defendere teneátur, quia in emptione Bonorum Lowiden enormiter ipſum læſit, *fol.* 225; Generoſus à Klüchzner in principali, ſub die 5. Menſ: Octobr. 1775. procedendo, oppoſuit exceptionem Præſcriptionis, quod nempe, quàmvis Generoſo ab Haudring competat jus Prothomiseós ad Bona Lowiden, per non uſum tamen ipſius in tempore, ab eodém cecidit, petendo oppoſitam exceptionem Fataliorum legitimam adinveniri: *à fol.* 200. *ad fol.* 218.

Generoſus porro ab Haudring contra iſtiuſmodi exceptionem præſcriptionis replicando, ſolidiſſimè deduxit, nulla interceſſiſſe fatalia in jure ſuo prothomiseós, quod ſibi ad Bona Lowiden inſervire à parte non diſputatur, adjunctîſque juris diligentîis, excogitata fatalia excludentibûs,

 oppoſi-

oppoſitam exceptionem præſcriptionis & incompetentis actionis, pro incompetenti adinveniri poſtulaverat: *à fol:* 231. *ad fol:* 244.

Et Judex Primæ Inſtantiæ Seelburgenſis, mediante ſuô Decretô ſub die 8va Menſis Octobris 1776. publicatô definivit; == Quod quoniam vigore Tranſactionis 1751. jus prothomiseôs Generoſo Actori inſervivit, & illô non obſtante Bona Lowiden 1759. vendita ſunt, fatalia que ob emiſſas Manifeſtationes non intraverant, proinde oppoſitis fataliis pro inſubſiſtibilibus declaratis, Generoſo à Klüchzner Bonis Lowiden, prævia ſolutione emptionis pretii, & meliorationis ſumptuum in eadem Bona impenſorum, quæ juſtificata fuerint, miſsis quibusvis dubiis, cedere demandavit, eidemque Generoſo à Klüchzner contra Generoſum Camerarium ab Haudring Evictorem, ſalvam reliquit, & ſumptus abinvicem compenſavit. == *fol:* 260.

Ab ejuſmodi Decreto Grſus à Klüchzner appellavit ad Judicium Aulicum Ducale Appellationis Curlandicum *fol:* 263. cujus appellatio admiſſa extitit *fol:* 265.

In quo Judicio Aulico Ducali appellationum Curlandico, ſub die 10. Men: Januarii, Annô 1777. Grſus à Klüchzner poſt introductionem Cauſæ, & doctionem de formalibus & materialibus appellationis, referendoque ſe ad Acta Judicii Primæ Inſtantiæ, petierat malè judicatum, & benè appellatum pronuntiari, *vid: in Actis à fol:* 1. *ad fol:* 6.

E converſo Grſus ab Haudring Sententiam Judicis Primæ Inſtantiæ æquam eſſe ſolide deduxerat: *à fol:* 8. *ad fol:* 13.

Poſt ſubſecutas verò Replicationes, & quidem Grſi à Klüchzner *à fol:* 17. *ad fol:* 24. ex parte verò Grſi ab Haudring *à fol:* 25. *ad fol:* 38.

Prodiit Sententia ſub die 20. Menſ: Januarii Annô 1778. quâ mediante: reformatâ Sententiâ Judicis à quo, exceptio præſcriptionis & incompetentis Actionis ex parte Generoſi à Klüchzner oppoſita, locum habere adinventa, & propterea eundem Generoſum à Klüchzner Bonis Lowiden non debere cedere pronuntiatum, compenſatis tamen ubique expenſis *fol:* 42.

Illicô poſt publicationem dictæ Sententiæ ex parte Generoſi ab Haudring fatalia, & quæcunque ulteriora ſalva reſervata, *fol:* 45. & ſub die 27. Menſ: ejuſdem Januarii, 1778. Annô, in Cancellaria Ducali. Appellatio extrajudicialis ad Thronum Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ, ejuſque Judicia Relationum propria interpoſita, *fol:* 45.

Et interea ſtante ejuſmodi appellatione interpoſita, cum Generoſus ab Haudring appellationem proſequendi, multo magis pro delatione ipſius in Judicio Aulico Ducali inſtandi animum habuiſſet, cumque Generoſo à Klüchzner patefeciſſet, & tantisper obligationem Generoſi à Medem ſibi ſuper 2000. Taler: in Albertinis inſervientem, pro cautione in ſequeſtro Judicii depoſitam, ex Sequeſtro rehabendi neceſſitatem habuiſſet, ſub die 30. Menſ: Maji Annô 1778. in Judicio Ducali Primæ Inſtantiæ Seelburgenſi convenerat cum Generoſo à Klüchzner, ut in caſu deferendæ Appellationis ad Sereniſſimam Majeſtatem Veſtram, deberet dare aliam cautionem, quam & repoſuit, nempe Generoſi à Schlippenbach, ſuper qua extraditione obligationis Generoſi à Medem Generoſus à Klüchzner conſenſerat; *vid: in Actis à fol:* 277. *ad fol:* 281.

Pro delatione verò appellationi, Generoſus ab Haudring citavit Generoſum à Klüchzner ad Judicium Aulicum Ducale appellationum Curlandicum *fol:* 273. & inſtiterat pro delatione appellationi *fol:* 269.

E converſo verò Generoſus à Klüchzner oppoſuit exceptionem Fataliorum deſertæ appellationis, quod nempe Generoſus ab Haudring in tempore Apoſtolos pro delatione appellationi non petiiſſet: *à fol:* 281. *ad fol:* 285. & poſt replicas ſuper petendis nec ne Apoſtolis, & quidem Generoſi ab Haudring *à fol:* 285. *ad fol:* 296. ex parte verò Generoſi

nerosi

nerosi à Klüchzner *à fol:* 297. *ad fol:* 302. factis, non concessa Generoso ab Haudring novorum ex adverso expositorum replicatione, super quo Generosus ab Haudring quærulabatur *fol:* 304.

Sub die 21. Mens: Januarii Annô 1779. in Judicio Aulico Ducali Curlandico prodiit Sententia, quâ mediante: ob non petitum in tempore Apostolorum, appellatio pro deserta declaratur, & Generosus ab Haudring in expensis hujus Instantiæ ad 15. Taleros Albertinos condemnatur *fol:* 305.

Ab ejusmodi Sententia eadem die, qua prolata, nempe 21. Mens: Januarii, Annô eodem 1779. cum innovatione appellationis à Decreto in negotio principali prolato die 27. Mens: Januarii 1778. interpositæ, extraordinariam appellationem coram Actis & Officio Regii Secretariatûs & Notariatûs publici ad Judicia Serenissimæ Majestatis Vestræ Relationum propriarum Generosus ab Haudring interposuit, quam eadem die & in Cancellaria Ducali insinuari curavit *fol:* 317.

Quam prosequendo, Literas Mandati extradidit, testante Relatione editi sub die 30. Mens: Januarii Annô eodem 1779.

Et hinc est Terminus, nempe ex appellatione duplici: extraordinaria & Literis Mandati Prosecutorialibus,

In quo comparendo, supplicat Generosus ab Haudring.

CONCLUSIO.

Decidendo Literas Mandati, Prosecutoriales, ex parte Generosi ab Haudring ad Judicia Serenissimæ Majestatis Vestræ extraditas, & appellatione, à Decreto Judicii Aulici Curlandici, sub die 21. Mensis Januarii Anni 1779. ad Judicia Serenissimæ Majestatis Vestræ Relationum propriarum extraordinariè interposita, admissibili & prosequibili adinventâ, Partibus de legalitate ejusdem Sententiæ experimentum injungi, in experimento, cum nec Légibûs, nec rebûs judicatîs fatale petendorum Apostolorum in Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ expressè præscriptum atque constitutum sit, quin potius per rem judicatam Judicii Aulici Ducalis appellationum Curlandici, in Causa Nobilis Officii Fisci nomine Æconomiæ antehac Grosauzensis contra Administratorem Bonorum Liberi Baronis de Kettler Joachimum Fridericum Braun, de die 28. Januarii 1747. quod Fatalia pro petendis Apostolis in hisce Ducatibus non observentur, expresè pronuntiatum fit. Proinde memoratam Sententiam pro desertatione appellationis ex eo: quod prætensi Apostoli in tempore petiti non fuerint, prolatam cassari; consequenter decidendo appellationem extraordinariam à Sententia priori sub die 20. Mensis Januarii 1778. in Judicio Ducali appellatorio in ipso negotio illegaliter & gravaminosè prolatâ, siquidem, quod jus proximitatis ex Transactione Anni 1751. inter Generosos ab Haudring Matrem & Liberos subsecuta, Generoso ab Haudring competat, innegabile est; Parsquè adversa, Generosus nempe à Klüchzner id non negat, prætensa verò præscriptio in casu speciali juris proximitatis conventionalis, Generoso appellanti ab Haudring obesse non potest ex rationibus: quod idem Generosus à Klüchzner sciens de Jure proximitatis Generosi ab Haudring, accedendo ad emptionem Bonorum juxta Juris dispositionem de emendis iisdem Bonis, eidem Generoso ab Haudring jus proximitatis habenti denuntiare, & utrum jure proximitatis uti vellet, ab ipso exquirere omnino fuit adstrictus, quo prætermisso ad beneficium præscriptionis recurrere nequit, nam præscriptio à tempore denuntiationis factæ, locum in talibus obtinet, quodque præscriptio bonæ fidei possessori tantum prodest, Generosus verò à Klüchzner habitâ notitiâ de jure proximitatis Generoso ab Haudring servienti, omissa denuntiatione, nonnisi per Evictionem, stipulatam securitatem quasi sibi providendo, malæ

fidei possessor fuisse convincitur, demum quod Generosus ab Haudring post adeptam majorennitatem per Manifestationes officiosas, in Actis proprii Districtûs factas, prætensam præscriptionem evitando & interrumpendo, Juri suo invigilavit, taliterque locus nulli præscriptioni adest, nec Partem adversam juvare potest; Proinde cassatâ Sententiâ Judicii Aulici Ducalis appellationum Curlandici, Sententiam Judicis Primæ Instantiæ Seelburgensis, sub die 8va Octobris Annô 1776. prolatam approbari, & pro ejus executione Partes ad eundem Judicem remitti, Generosum à Klüchzner in omnibus damnis ac litis expensis condemnari.

RATIONES CONCLUDENDI

In puncto Apostolorum, scilicet de Literis ad Superiorem significatoriis de Causa appellata.

IN formalibus appellationis, equidem de jure communi tria fatalia observantur, nempe interponendæ, introducendæ, & prosequendæ, ad tradita. *Gail: Lib: 1. Obs: 139. n. 1. fol: 226.*

Et appellationem sive judicialem, sive extrajudicialem, à definitiva vel interlocutoria Sententia intra decendium à die latæ Sententiæ & gravaminis interponi debere. *Gail: ibid: n. 2. & Marant: par: 6. tit: de appellat: n. 213. fol: 511.*

Introducendæ autem appellationis fatalia præseferunt tempus sex Mensium à die interpositæ appellationis. *Gail: ibid: obs: 140. n. 5. fol: 229.*

Prosequendæ demum est tempus Unius anni, & ex legitima Causa etiam biennium conceditur, tam in appellatione judiciali, quàm & extra, curruntque eadem fatalia à die interpositæ appellationis. *Gail: ibid: Obs: 141. n. 1. fol: 231.*

Et hæc de appellationibus non solùm de jure, sed & de continua Fori observantia considerantur ita: ut stantibûs hîsce fataliis appellatio remaneat deserta, & Sententia transeat in rem judicatam.

Quæ fatalia in Causa præsenti Generosi appellantis ab Haudring neutiquam intercesserant, quia & appellavit, & prosecutus est, & pro cadentia introduxit appellationem ad Judicia Serenissimæ Majestatis Vestræ, igitur Sententia Judicii Aulici Ducalis appellationum Curlandici, declarans desertam esse appellationem, tanquam contra jus prolata insubsistibilis est.

In his formalibus appellationis per Generosum appellantem ab Haudring non omissis, & de jure omnino necessariis, dicta Sententia Judicis Aulici minimè accusat Generosum appellantem, sed propter hoc, quod in tempore non petierit Apostolos, declarat desertam esse appellationem.

Equidem præter supra dicta tria fatalia appellationis, etiam fatalia Apostolorum jure communi sunt constituta, sed quemadmodum ejusmodi fatalia Apostolorum minus sunt necessaria, uti nihil aliud denotantia, nisi Literas Superiori Judici de appellatione vel admissâ, vel refutata significantes, *ut docet Marant: par: 6. tit: de Appellat: n. 225. & 226. fol: 513.*

Ita tempus constitutum de jure petendorum eorundem, triginta videlicet dierum ad tradita. *Marant: ibid: n. 219. fol: 512. Mynsyngier. Cent: 4. obs: 36. fol: 169.* alibi dilatatum est & ad 50. dies, *Marant: ibid: n. 221.* & alibi terminus iste potest abbreviari, *Marant: ibid: n. 223.*

Denique alibi uti in Camera Jmperiali prorsus neglecta, imo non necessaria per novellam Ordinationem declarata, & impunè omitti possunt

ſunt ut teſtatur. *Gail: Lib:* 1. *obs:* 139. *n.* 15. *fol:* 228. in verbis: == „ obſervandum quoque, quod licet de jure communi poſt interpoſi-
„ tam appellationem Apoſtoli ſive Literæ dimiſſoriales intra terminum
„ juris, puta 30. dierum vel hominis petendi ſint, aliàs appellatio de-
„ ſerta reddatur, tamen hoc ex ordinatione Cameræ par: 2. tit: 30.
„ §. 1. non eſt neceſſarium, ſed valet appellatio, & in Camera recipitur,
„ etiamſi Libellus dimiſſorius, vel Apoſtoli petiti non ſint == & *Myn-*
„ *syngierus Cent:* IV. *obs:* 36. *fol:* 169. *in verbis* == verum ex no-
„ vella Ordinatione Cameræ Jmperii in 2. par: tit: 30. requiſitio Apo-
„ ſtolorum prorſus non eſt neceſſaria, ſed omitti impune poteſt, nihi-
„ lominus & conſiſtit appellatio. „ ==

Hinc eſt, ut Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ antehac ad Magiſtros Crucigerorum Livoniæ ſpectans, qui ab Jmperatoribus Romanorum plurima Privilegia Legesque traxêre, etiam & Ordinationem Cameræ Imperialis de non petendis Apoſtolis aduſque ſecutus, & ſequendo eandem Ordinationem Cameræ Jmperialis, continua in hiſce Ducatibus Fori obſervantia viguit, quod neutiquam, v. in tempore præfixo, debeant peti Apoſtoli, quoties ad Superiorem appellatur, ut conſtat ex Sententia Nobilis Officii Fiſci nomine Æconomiæ antehac Groſauzenſis, contra adminiſtratorem Bonorum liberi Baronis de Kettler, Joachimum Fridericum Braun, Judicii Aulici Ducalis appellationum Curlandici die 28. Januarii 1747. lata *in Actis fol:* 275. *in verbis* == „ quod in Legibus Patriis horum Duca-
„ tuum nullum fatale petendorum Apoſtolorum expreſſe præſcriptum ſit,
„ introducta verò in Judicio ſupremo obſervantia, ut ille, qui à Sen-
„ tentia ab inferiori Inſtantia prolata appellavit, appellationemque tri-
„ bus in Juridicis debitè per inſcriptionem in Regeſtrum Partium co-
„ ram Judicio ſupremo non proſequeretur, appellationem ſuam amiſiſ-
„ ſet „ == quæ Sententia à parte admittitur *in Actis fol:* 282. *& fol:* 297.

Verum itaque eſt, & ex Sententia modò primùm citata, & ex Sententia à qua appellatum, quod in Legibus Patriis Ducatûs Curlandiæ, fatale petendorum Apoſtolorum non ſit præſcriptum, ex judicato quoque Anni 1747. conſtat; quod petitum Apoſtolorum, „in tempore præfixo" non ſit in fori obſervantia, ergo nulliter ob non petitos Apoſtolos appellatio pro deſerta declarata remanſerat

Nec ſolidat fatale Apoſtolorum ratio ex Diplomate appellatorio Pruſſico deſumpta, in quo continetur, quod appellationes hyemales in Menſe Octobri, & æſtivæ in Menſe Martio, in Judiciis Relationum introduci debeant.

Nam in Diplomate appellatorio Pruſſico diverſa eſt ſpecies appellationis introducendæ ad Judicium Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ, à petito delationis appellationi, quod in Judicio illo Curlandico promovebatur, in Diplomate itaque Pruſſico de introductione appellationum ad Judicia Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ in cadentiis æſtivali & hyemali enuntiatur, de Apoſtolis verò nulla mentio; ex praxi autem Fori Curlandici juxta Decretum 1747. non eſſe in uſu prætenſos Apoſtolos conſtat, verùm tantum ad inducendum fatale neglecta introductio, in Superiori Judicio per tres Cadentias obeſt appellanti, in quo caſu Generoſus ab Haudring non eſt, nam & in Judicio Ducali inſtetit de appellatione admittenda, & ad Judicium Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ in tempore debito per inſcriptionem Cauſæ appellationem introduxit, & illam proſequitur.

In reliquo dato, non tamen conceſſo, quod in Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ [redacted], ſit [redacted] tempus præfixum pro petendis „Apoſtolis" [redacted] (quod [redacted] abeſt) tamen ſtante appellatione interpoſita ſub die 30. Menſis Maji Annô 1778. dum Generoſus à Klüchzner in caſu deferendæ appellationis ad Sereniſſimam Majeſtatem Veſtram conſenſerat in extraditionem obligationis Generoſi à Medem, ut eſt in Actis *à fol:*

à fol: 277. *ad fol:* 281. contentando se in casu ejusdem appellationis cautione per Generosum à Schlippenbach data ibid: *in Actis fol.* 280, igitur tacitè instantiam fataliorum, si quæ intrassent, prolongavit quod licitum est de jure, & currit in Judicio appellationis, quale est supremum Serenissimæ Majestatis Vestræ, & propterea ab hac exceptione ulterius desistere debet ad tradita Mysynngier. *Cent.* 3. *obs:* 49. *fol.* 119. ibi „ — quod supradictum est tempus instantiæ, nec tacitè, nec expressè Partium consensu prorogari posse, hoc intelligi debet de instantia primæ „ Causæ, nam in instantia appellationis est secus, poteftque tempus exer- „ cendæ appellationis per Partes propagari. „ *Idem Gail pract: obs: Lib:* 1. *obs:* 140. *Nro* 8. *fol.* 229. & *Marant. par:* 6. *tit. de appellat. Nro* 236. *fol.* 516.

Et hæc sunt dicta quoad fatalia petendorum Apostolorum, quæ solummodo adstructa sunt ad supprimendam & protelandam justam Causam juris prothomiseós, Generoso appellanti ab Haudring competentis, quæ justificatur sequentibûs:

RATIONES CONCLUDENDI
in Causa Juris Prothomiseós coventionalis.

IN pacto supra memorato in Lassen, die 24. Junii Annô 1757. à Matre Generosi Colonelli ab Haudring, eo minorenne cum Liberis suis inito, Generoso tunc Locumtenenti moderno Camerario Christophoro Geórgio ab Haudring Fratri appellantis, pro portione hæreditaria §. 4. Prædium Lowiden, tamen sub conditione §. 7. expressa cesserat, ut eveniente casu, si Prædium hocce vendere vellet, cæteris Fratribus, sicquè etiam Generoso appellanti jus proximius competeret.

Cùm autem in §. 98. Statutorum Curlandicorum expessè dispositum est, quod emere & vendere omnes promiscuè possunt, qui liberam, non definitam adstrictamque rerum suarum habent facultatem.

Igitur Generosi Camerarii ab Haudring facultas vendendi Prædium Lowiden, liquidissimè & firmissimè pactò erat definita & adstricta, sicque etiam sine consensu Generosi Colonelli ab Haudring, cui jus proximius in id prædium ex pacto competit, cuidam extraneo vendere, idem Generosus Camerarius ab Haudring facultate non gaudebat, & contractus cum extraneo initus nullitatis vitiô laborat.

Pari quoque ratione Generosus à Klüchzner de Annô 1759. die 24. Mensis Junii, Prædium Lowiden emere non potuit, quia de jure in illud per Generosum appellantem ab Haudring habito, scivit ex pacto Anni 1751. & propterea sibi Evictionem intuitu hujusce juris ptothomiseós, adversus Generosum appellantem ab Haudring solennissimè caverat igitur contractus venditionis, tam ex parte vendentis transactione Anni 1751. inhibiti, quàm & ex parte ementis eadem transactione Anni 1751. impediti, tamquam de ipsa scientis, evictionemque sibi caventis, nullitatis est.

Tantò fortiùs idem Contractus nullitatis vitiô laborat, quia Prædium Lowiden, sine ulla prævia denuntiatione Generoso Colonello ab Haudring facta, utrum Jure Prothomiseós ex pacto ipsi competente uti vellet, nec ne? venditum est; quo casu nemo ambigit, contractum esse nullum ad tradita: *Gail. Lib:* 2. *obs:* 19. *fol.* 289. *Nro* 8. in verbis. „ Pro- „ inde etiam prohibitus vendere extra Familiam, potest licitè rem ex- „ traneo vendere, si Familia post legitimam factam denuntiationem justô „ pretiô emere non voluerit.

Et ubinam in casu constat de denuntiatione venditionis Generoso appellanti facta, quin è converso illam non præcessisse contractus venditionis Anni 1759. testatur, dum in eo de defensione adversus Generosum appellantem, stipulando evictionem, non verò ulla denutiatione facienda edisseritur.

Ac

Ac ita expediti juris est, emptorem, qui tempore emptionis Prædii jus in id alteri competens scivit, & tamen emit, in mala fide constitui, consequenter ad restitutionem prædii ei, cui jus melius & proximius in id competit, obligari. Cùm verò Generosus à Klüchzner de jure proximiori Generosi Colonelli ab Haudring appellantis in Prædium Lowiden tenore Literarum venditionis plenariè edoctus, sibi evictionem præstari curavit, ceu malæ fidei possessor, cui nulla prodest præscriptio ob talem, tam contra jus commune, quàm Statuarium Curlandicum, progressum, circa hæreditatem eorundem, bonorum tanquam juri alieno obnoxiam, nullatenus conservari potest, *Legatur Lex Curlandica* §. 152. in verbis: „ neque bona dotalia uxoris, neque pignori data, aut cum pacto reluendi vendita præscribuntur, quod malæ fidei possessor rem alienam ad se non pertinentem usurpans nullô tempore præscribat. „

Quæ etenim injustitia foret, jus alterius propinquitatis lædere, quod de omni jure subsistit, de quo *Gail: lib:* 2. *obs:* 19. *Nro* 1. *fol.* 288. *Marant. disp.* 8. *Nro* 23. *fol.* 601. & in casu salvatum est per Pactum Anni 1751. & quod tanquam generis, familiæ, nominis & Domûs conservatorium non odio sed favore potius dignum. „ Lugubre enim, inquit *Gail: Lib:* 2. „ *obs:* 19. *Nro* 1. *fol.* 288. & deplorandum foret, videre paternas & avitas domos, ac antiqua majorum prædia in externas manus transire, atque „ devenire laribus sepulchrisque avitis carendum. „

Ac idcirco Generosus à Klüchzner contractum venditoreum Anni 1759. neutiquam manutenere potest, cum ille & contra Jus commune, & signanter contra jus speciale, Pacti videlicet Annô 1751. inter Matrem fratresque Generosi Appellantis initi, celebratus fuerit, illeque scienter contra jus Generosi appellantis, non facta ipsi per prius denuntiatione conclusus Generosum à Klüchzner cèu malæ fidei possessorem, præscriptione afferta gaudere neutiquam defendit.

Generosus à Klüchzner volendo conservari circa bona Lowiden, pluribûs usus est tam in facto, quàm & in Jure, quæ tamen nullam fundamentalem rationem continent.

Non in facto, siquidem assertæ declarationes renuntiandi juri propinquitatis, acsi per Generosum ab Haudring factæ, doni acceptatio, & similia in rerum natura non existentia, per responsum Generosi ab Haudring *in Actis* à *fol.* 231. *ad fol.* 238. reprobata sunt, ac idcirco idemmet Generosus à Klüchzner, non reputavit ulterius factîs contendere, & plenariè à facto recedendo, totam vim evincendi Causam in fataliis præscriptionis posuit *in Actis fol.* 248.

Multifariìs argumentîs jam deductum est, quód alioquin juri prothomiseós, non nisi à tempore legaliter factæ denuntiationis venditionis, cursus præscriptionis incipiat, eâquè omissâ, uti in præsenti casu evenit, retrahendi solita obstare non possit præscriptio; insuper etiam teste Carpsovio par II. const. 32. def. 13. secundùm jus commune, annus præscriptionis demum à tempore legaliter denuntiatæ scientiæ, generali, minimè verò conventionali speciali, prout in casu juris prothomiseós rerum immobilium præfinitus sit.

Et idcirco in Sententia Judicii Aulici Ducalis appellationum Curlandici die 20. Januarii Anni 1778. annus præscriptionis contra Generosum appellantem malè allegatus est.

Si namque ipsum allegare placuit, tunc Generosus appellans super denuntiatione sibi inquatum facta, (quod tamen nec objectum fuit) convinci debuit, non aliter etenim annus de jure communi contra retrahentem sumitur, nisi in pari gradu cum ipso ambulet, & denuntiatio legitimè facta.

Rursus in Sententia à Qua ? allegatus textus ex Statutis Curlandicis prorsus casui præsenti inapplicabilis, siquidem ille §. 187. Statutorum, inquit de jure prothomiseós conjunctæ manus, ut sunt clara ipsius verba ibi. „ Jus quoque prothomiseós debetur iis, quibus Jus conjunctæ ma-

„ nus competit, si scilicet intra annum à die scientiæ retractum institu-
„ erint, & pretium, quod alius re verâ numeraverit, refuderint.

Varia autem Juris prothomisèôs genera esse ex jure compertum est, & cum in casu præsenti agatur de jure prothomisèôs speciali conventionali, ergo unica species, inspecto hoc §. integro Statutorum juris prothomisèôs, quod ex jure conjunctæ manus oritur, & in quo casu à tempore scientiæ (quæ tamen etiam denuntiatione per superiùs dicta perficienda) annus præfinitus sit, ad casum præsentem specialem juris prothomisèôs conventionalis prorsus inapplicabilis est.

Cumque Generosus Colonellus ab Haudring promoveat Actionem rei immobilis vindicatoriam ex jure proximiori simplici conventionali, si neglexisset, competeret satius contra eundem exceptio præscriptionis, juxta §. 147. Statutorum, quæ computatur inter præsentes per sexennium, & inter absentes per duodecim annos.

Licet Generosus Colonellus ab Haudring nec unicô Annô præscripsit, ubi etenim est denuntiatio, à qua currere deberet præscriptio.

Sique ipsam à die scientiæ currere contendatur, cùm contra ignorantes non currat præscriptio: *Gail. Lib.* 2. *obs.* 19. *Nro* 18. *fol.* 291.

Quæritur: undenam constitit Judicio à Quo de determinato tempore scientiæ venditionis Bonorum Lowiden per Generosum Colonellum ab Haudring ac si habitæ, à qua incipiendo jus præscriptionis contra ipsum computaretur?

Non potest convinci illius ex Manifestatione Annô 1762. die 30. Mens: Martii facta, siquidem transeundo duntaxat illo tempore per Ducatum Curlandiæ, in militia tunc temporis Russico-Imperiali existens, fecerat Manifestationem eventualiter, ne circa Bona Weyssensec & Lowiden mutatio aliqua fieret, in quæ jus proximitatis ex transactione Anni 1751. sibi competit, non enuntiatur autem in ista Manifestatione, quod Bona Lowiden Generosus à Klüchzner obstante pacto 1751. emere non potuit, igitur de scientia ex hacce Manifestatione convinci nequit.

Diversa itaque sunt & seperata à se, ex una parte scientia transactionis Anni 1751. & ex altera Contractus venditionis Anni 1759. de primo innotuit Generoso appellanti, proptereaque salvabat jus suum, de altero verò nulla notitia aderat, quia si scivisset expresse contra venditionem Generoso à Klüchzner factam Manifestatus esset, non verò è converso reservasset jus suum ad effectum, ne ulla unquam mutatio circa Bona Lowiden fieret, & cum jus retractus competat adversus emptorem, præscriptioquè computatur à tempore scientiæ venditionis, igitur motivum Decreti Judicii à Quo, sumptum ex Manifestatione Anni 1762. super scientia per Generosum appellantem, non deductâ eâdem, ut sit contractus venditionis notus Generoso Colonello ab Haudring, ad solidandum idem Decretum prorsus irrelevans est.

Ulteriùs irrelevans est, quod Generosus Colonellus ab Haüdring die 3. Mens: Aprilis Annô 1764. in Patriam rediens intempestivè, decem diebûs post annum reditûs sui, nempe die 13. Mensis Aprilis Annô 1765. Manifestationem emiserit.

Ubinam etenim in jure reperitur, quod illico à die reditûs fatale præscriptionis currat, quod è converso semel à die denuntiationis, & postmodum à die scientiæ in jure constitutum est.

Et deinde Generosus Colonellus ab Haudring in eadem Manifestatione se se explicat, quod in tam angusto tempore negotia domûs suæ nec plenè cognoscere, nec consilium capere potest, essetne itaque justum ipsi pro fatali decem dies imputare, qui cèu miles jura scire non tenebatur, & tam angusto tempore de negotiis domus suæ nec se se informare, nec consilium capere potuit.

Rursus subsumptio in motivis Decreti Judicii à Quo? quod cum in Manifestationibus Annor: 1765. die 13. Mens: Aprilis, & 1766. die 19. Mens: Martii renovatio Manifestationis Anni 1762. die 30. Mensis Martii

contenta

contenta non ſit, fatalia idcirco currere, inſubſiſtens eſt, nam Generoſus ab Haudring Manifeſtatur ſpecialiter & generaliter contra omnia præjudicia, ſtante ſui minorennitate & abſentia, facta, ad quid etenim renovare Manifeſtationem Anni 1762.? quando illa præſeferebat reſervationem juris prothomiseós ad Bona Weiſenſec & Lowiden hæ verò continent enuntiationem præjudiciorum, ſub quæ in generali & venditio Bonorum Lowiden ſubintrat, omniaque ſibi jura ſalva & illæſa reſervat, ſub quam pariter generalitatem & tranſactio Anni 1751. & Manifeſtatio 1762. abſque omni dubio cadit.

Poſtremum deinde motivum Decreti appellati conſiſtit in eo: quod Manifeſtatio die 3. Menſis Septembr: 1767. ſemiſecundô Annô demum elapſo acticata ſit, & propterea fatalia præſcriptionis interceſſerant.

Sed quare etiam expoſitum in eadem Manifeſtatione, quod nempe Generoſus Colonellus ab Haudring ſtato tempore Manifeſtationum ſuarum, pro facienda Manifeſtatione ad Acta adiverit, ſed illam Secretarius ob ægram valetudinem ſuam ſuſcipere non potuit: *ut legatur in Actis fol.* 78. in eodem Decreto motivatum non eſt?

Quia non poſſet hujuſmodi Manifeſtationis contentum, tanquam in evidenti conſiſtens, ullatenus retorqueri, non eſt etenim in culpa Generoſus ab Haudring, quod uſque 3. Septembr. 1767. Manifeſtatio ipſius acticata fuerat, ille namquè ſtato tempore Manifeſtationum ſuarum Acta adivit, ſed acticatio hujuſce Manifeſtationis ob ægram valetudinem Secretarii Actorum neglecta fuerat, in aliis autem Actis hancce Manifeſtationem facere non potuit, quia tanquam non in proprio territorio facta, nullitatis foret.

Hæc itaque ſunt fundamenta Decreti appellati, quæ ſolummodo ex ingenio adinventa, juri autem contrariantur, & ſignanter Legi Curlandicæ §. 152. ſupra citatæ, per quam Legem excluditur penitus præſcriptio in illis bonis, quæ pactô ſunt & conditione aliqua onerata, ſcilicet pacto reluendi, ſive retroémendi, ac etiam ex partitate rationis, pactô juris prothomiseós.